



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

XXXIII. De profectu Ecclesiæ post abdicationem simulacrorum, & de morte improbi sacerdotis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

Hoc ergo genus sortium, aliasque ligneas calculationes, in quibus naualis pugnae vel praedae considerabant auguria, quamuis multum renitentibus aliquibus, tandem Dei auxilio penitus abrafit, ipsumque profani vaticinij caballum, ne simplicibus esset offensionis laqueus, in aliam terram vendi praecipit; asserens hunc magis quadrigis, quam prophetiis idoneum. Cumque omnes superstitiones & enormitates suas, Episcopo docente, abiiecissent, monuit, ut omnes Christianos fratres suos reputantes nec venderent, nec interficerent, neque captiuando torquerent, nec terminos eorum turbarent; sed fraternè ac socialiter se cum omnibus gererent; eademque ab illis mutuò sperarent; & quod omni immanitate crudelius erat, femineos partus enecare, ne ultra fieret, mulieres collaudare monebat. Nam usque ad haec tempora, si plures filias aliqua genuisset, ut caeteris facilius prouiderent, aliquas exiis iugulabant, pro nihilo ducentes parricidium.

Equum superstitionis Minister venditur.

Salubria monita Stetinensibus data.

Barbara immanitas.

De profectu Ecclesiae post abdicationem simulacrorum, & de morte improbi sacerdotis.

CAPVT XXXIII.

Mundata igitur ciuitate ab immanitate scelerum & spurcitiarum: abdicata etiam coningum pluralitate, adiuuantibus & coeuangelizantibus illis, qui ante vniuersalem populi consensum, fidem quasi priuatim acceperant, sunt catechismi per vicus, & capita platearum; tuba insonat Euangelij; Cruces eriguntur; crucifixus adoratur; omnis aetas, omnis lingua Christum nominat, Christum ruminat, verbaque fidei aut discunt omnes, aut docent. In tam ingenti autem ciuitate, quae nongentos patres familias absque paruulis & mulieribus & reliqua multitudine numeratos habebat, non est inuenta persona, quae post generalem consensum, ab Euangelij veritate se subtrahere nite-

Sesiduo.

Catechismus per capita. Cruces eriguntur.

Omnes Stetinenses ad fidem transeunt, unico sacrificio excepto.

m

tere-

téretur, nisi solus ille sacerdos, qui præfati caballi habebat curam. Hic autem cum multis importunitatibus fatigaret Episcopum, & bono semini zizania superiaceret, die quadam, cum multa prece ab omnibus rogatus, & ab Episcopo multis rationibus superatus, ex obstinatione nullo modo vellet acquiescere Veritati; nocte ipsa diuina ultione percussus, tumore ventris ac dolore crepuit & mortuus est. Quod factum vniuersæ ciuitati magnum incussit terrorem; omnesq; Christum laudantes fortem DEVM, suæque legis æmulatorem vocitabant.

Qui tamē paulo post meritis pœn. dedit.

*De questione mota, super morte
sacerdotis.*

CAPVT XXXIV.

Timeo.

Hoc caput deest in edit. Canis.

Dubitatio.

*Psalm 33.
Responsio.*

Matth. 12.

Miror quod tantæ pietatis homo neque hunc sacerdotem, neque viduam illam, quam etiam superius à DEO percussam meministi, vt conuerti possent, à morte suscitauit. Nam de quibusdam Sacerdotum legitur, persecutores suos hominesque impios, conuersionis gratia, reuocasse ad vitam.

Sesfridus. Iudicia DEI abyssus multa. Et illi quidem, quia prædestinati erant ad vitam æternam, idcirco huic vitæ redditi sunt, vt conuerti possent & saluari; illi autem, quia prædestinati non erant, nec resuscitati sunt, nec saluati; sed propter blasphemiam in DEVM adeo iuste damnati sunt, & condemnatione istorum alij docti sunt atque correpti.

Timeo. Vt video, quia blasphemia Spiritus sancti irremissibilis est, idcirco tanquam blasphemus à vita eos irreuocabiliter sentis esse defunctos: sic enim Phariseis blasphemantibus à Domino dictum recolo: *Omni qui dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque hinc neque in futuro seculo.* Timidè quidem & cautè de diuinis iudiciis disputandum est. Sed quia fides Catholica de incredulis omnibus generalem ante

me